Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

ut acciperet tributa regionum ⁊ congregaret argentum multum. Et reliquid lysiam hominem nobilem de genere regali super negotia regis a fluvio euphratem usque ad flumen egypti ⁊ ut nutriret filium suum antiochum donec rediret ⁊ tradidit ei medium exercitum ⁊ elephantes et mandavit ei de omnibus quæ volebat et de habitantibus iudeam ⁊ hierusalem ⁊ ut mitteret exercitum ad eos ad conterendam ⁊ ad exterminandam virtutem israel et reliquias in hierusalem et auferendam memoriam eorum de loco. et ut constituerent habitatores filios alienigenas in omnibus finibus eorum et sorte distribuerent terram eorum. Et rex assumpsit partem exercitus reliqui et exiit ab antiochia civitate regis sui anno centesimo xl vii ⁊ transierant eufratem fluvium ⁊ perambulabant superiores regiones. Et elegit lysias ptolomeum filium dorimi ⁊ nicanorem ⁊ gorgyam viros potentes ex amicis regis ⁊ misit cum eis xl milia virorum ⁊ vii milia equitum ut venirent in terram iuda ⁊ disperdirent eam secundum verbum regis. Et processerunt ut irent cum omni virtute sua. Et venerunt et applicuerunt in terra amphetin et audierunt mercatores regionis nomen eorum. et acceperunt aurum et argentum multum valde ⁊ puerorum et venerunt in castra ut acciperent filios israel in seruos et addidit sunt ad eos exercitus syrie. et tyre alienigenarum

Et vidit iudas et fratres eius quia multiplicata sunt mala. et exercitus applicabat ad fines eorum. Et cognouit verba regis quæ mandauit populo facere in interitum et consummationem ⁊ dixerunt vnusquisque ad proximum suum. Eligamus de eccl̃esia populi nostri et pugnemus pro populo nostro et sanctis nostris. Et congregatus est conuentus ut essent parati ad prelium ⁊ ut orarent ⁊ petierent misericordiam ⁊ miserationes. et hierusalem non habitabatur sed erat sicut desertum. Non erat qui ingrederetur ⁊ egrederetur de natis eius ⁊ sanctum conculcabatur. ⁊ filii alienigenarum erant in arce ubi erat habitatio gentium et ablata est voluptas a iacob. et defecit ibi tybia ⁊ cytharam. Et congregati sunt et venerunt in maspha contra hierusalem. quia locus orationis erat in maspha antequam in hierusalem. Et ieiunauerunt die illa ⁊ induerunt se cilicis ⁊ cinerem posuerunt in capite suo. et destruxerunt vestimenta sua ⁊ expanderunt libros legis dei. de quibus imitabantur gentes simulacrorum similitudinem simulachrorum suorum. Et attulerunt ornamenta sacerdotalia ⁊ primitias. et decimas ⁊ suscitauerunt nazareos qui impleuerant dies. et clamauerunt voce magna in celum dicentes. Quid faciemus istis. et quo eos ducemus. Et